



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Vers. 25.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

violentiā adhibita, cui resistere non valet voluntas, licet uterque quam tunc non sit futurus actus ille voluntarius. Immo grauius ille peccat, qui isto actu vitiosius, quam hoc; nam ille hoc facit, vt voluntas creaturæ consentiat in peccatum, iste minime: licet iste consentiat non sit voluntarius, qua se habet secundum modum voluntatis libera, scilicet qua se habet vt natura; quo solo modo Deus voluntas, m ita mouere potest, vt illud moueatur, hoc est, non possit non moueri. Atque isto pacto voluntas, vt natura consentiens in peccatum, immunis est à culpa. Peccatum enim, quia peccatum est, à voluntate libera, & secundum modum voluntatis libere in obiectum tendente. Lex enim non liberat, sed voluntati; non voluntati, qua se habet vt natura, sed voluntati, sed secundum modum voluntatis libera. Vana itaq; hæc est distinctio & inlicita ad liberandam illam primam sententiam obiecto crimine. Si quis peritaciū tueri velit, vnum eandemque actum libere & necessario patri posse diuersis respectibus, nempe respectu causæ primæ ordinis necessarii. A respectu causæ secundæ libere, & contingenter. Ille sciat contingentiam, & necessitatem, non respectibus, sed integris essentis dissensu, totamque entis amplitudinem diuidere; propterea cōcedere non potest. Necessarium est, quod non potest non fieri, contingenter fit, quod potest non fieri. Ecce contradicentia quæ nullo modo eidem aduerti potest. Voluntas libere tendit in obiectum suum, quando à potentia superiori non est determinata in vnam partem. Ad determinationem illa facta, per decretum aliquod Dei non amplius dici potest libere in suum obiectum tendere: non enim iam principium est sui actus, dominium & potestatem habens. Pugnare itaque cum diuina & naturali lege necessitate Caluianus docet Arminius, & in Hollandia plerique doctores.

QVÆSTIO II.

An melius fuerit Iudam natum non fuisse?

Q Vamuis suam feliciorē Iudas conditionem, quam magistri sui existimaret, se enim iam diuinem, Christum in potestate inimicorum bene futurum opinabatur, contrarium tamen inculcat Saluator. Se quidem ite sicut scriptum sit de se; mors enim discessus est à vita laboriosa. Ita Victor Antioch. Theophyl. Tanta vero manere Iudam supbia ex verbis Christi discimus, vt melius illi esset, nō esse quam ad atrociam in eternum tormenta natum esse. Athanasius ad Antioch. q. 101. Liqueat hinc quod eterna sit ipsius beatitudo, & peccatorum poena. Et rursus ait Dominus de Iuda: Praesaret nunquam natum esse hominem illum. Si autem suum habet poenā prodest Iuda, natum esse: siquidem & Iudas olim ad regnum celorum resurrecturus erat post poenā excusitans, sicut heretici decepti fabulantur. Poena igitur illius aeterna, & adeo grauis, vt melius sit non esse, quam tam miserum esse. Et quamuis miserum esse credant Philosophi, non esse. Aliud tamen Christus aeterna veritas docet. Melius erat illi, si natum nō fuisset homo ille. Misericordiam illam etiam serio estimat Hieronymus in Hierem. c. 21. Nos vero legentes illud beati Iob: Maledicta dies in qua natus sum: & nox illa in qua dixerunt, ecce masculus: & maledictus homo qui annuntiauit Patri meo dicens: natus est tibi puer: diuic testimonio cooperamus, quod scilicet melius sit, non esse quam viuere in supplicio: et ita illud quod scriptum est: Mors viro requies, cui clauis Deus vitam suam: Et iterum: Quare data est mihi lux, & visus, qui in amaritudine animæ sunt: & in Euangelio similitudinem dicimus: Melius ei fuerat si natus non fuisset: nam quod sit, qui natus non fuerit: sed quod melius sit non esse, Adam. Conzen in Euang. Tom. I.

quam male esse. Aliud est enim omnino non esse: aliud cum sit, absq; vlla intermissione cruciari: quomodo mortem quietam vitam misera proferimus. Vnde & Anos diem appellat tenebrarum, & diem afflictionis. Et Iacob eo quod vixerit in labore, & angustia, dies vite sue paruos & pessimos vocat.

An vero omnium, paruulorum etiam ea sit conditio, vt melius sit ipsis, non esse, quam sic esse: Angustinus definire non audet, quod hoc de solo Iuda propter diros cruciatus quos passus est, dictū sit. l. 5. c. 8.

VERSUS 25.

Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi: ait illi: Tu dixisti.

QVÆSTIO I.

An absoluit Christus affirmari Iudam esse proditorem?

§. I. AN plena illa sit affirmatio. Tu dixisti: an dubia: valde disputant interpretes. Si enim verificatum sit, ita affirmare quod aliter interrogauit, Christus expellere Iudæ exprobrauit meditatū scelus proditoris. Ita factum esse existimat Baronius. negat Chrysostomus & Cassianus: si enim clarè proditorem illis verbis designasset, alii in eum insurrexissent. E quidem illius affirmationis in scripturis exempla non habemus: videturque, & vana concessio esse, quæ Christo idcirco peculiaris, quod omnium corda nosset. Equidem, Iudæ, Pontifici, Pilato sic responderet. Caiphas v. 64, cum enim adiurasset, vt diceret, an esset filius Dei. respondet Christus, Tu dixisti. Mox ille scindit vestimenta, quasi Dominus planè id affirmasset. Sed neque eo loco, solis illis verbis Dominus est usus: sed addidit: verumtamen dico vobis, a modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei; &c. Imo dixit, Tu dixisti, Ego sum. nam illam responsionem, ego sum, Marcus habet. Et apud Lucam 23. 71. Vos dicitis quia ego sum. Sic & Pilato responderet. Nam quod est apud Euangelistas, Tu dixisti: Ioannes pluribus exponit. cap. 18. v. 34. 35. 36. 37. A temeripso, hoc dicit, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus. Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi, quid scissi.

Concessio,
Tu dixisti.

Constat itaq; modum loquendi Apostolos non intellexisse, ideo secundum signum dedit. Responsio autem in eo versatur, vt quod Iudas interrogantis vultu & sono prorsus sum ego? Christus ita accipit, quasi affirmatiue dicat. Ego sum. Nam hoc ita esse Iudas intus sibi in conscientia loquebatur, sonus quo interrogationis exprimebat affectu, simulantis erat malitiæ. Non absimili modo & Caiphas, & Pilatus ex tot miraculis Regē Israelis esse cognoscebant, conscientia convicti clamabant. Interrogatio in Caipha erat calumnia. In Pilato dissimulatio.

Quod vero addit, visuros filium hominis, minæ sunt, aduentum suum & iudicium prædicentis extremum. Iam se late ante iudices iniquos reum, breui sessurum pro tribunali, & iudicia impia iudicaturum. Quia verbo rem consideranti videbatur satis dictum, idcirco Theophylactus & alii manifestatum hac voce proditorem arbitrantur, Syrus autem Epitheton addit Iudæ *ΚΑΙΝΩΝ* Macthemana, id est, proditor.

Vu VER-